



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

XXIII. Ad superbos, & elatos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

*justitiam, fortitudinem, & temperantiam. Magna dantur solis petentibus.*

## III.

**O** Fili! Non est regnum Dei esca, & potus: sed justitia, pax, & gaudium in Spiritu S. Tam brevis est ciborum voluptas, ut spatium loci vix sit quatuor digitorum, & spatium temporis vix tot momentorum; & tamen adeo absorberemur, ut Dei, & cœli obliviscamur. Statuamus tandem cultrum gutturi nostro, quod & in hac vita gustemus, quam suavis sit Deus, & in altera repleamur torrente voluptatis æternæ.

*Instructio meritoria.*

De quolibet cibo bolum unicum saltem, vel alterum ex delicatioribus epulis sacrificare Christo pro semper statuamus, nec extra prandii, ac cœnæ tempora aliquid unquam admittamus sine necessitate. Frequens in corde, & ore sit nobis Psalmus: *Quam dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum &c.* cum Rhythmo amoris: *Anima Christi sanctifica me, Corpus Christi &c.* Desipit, quidquid amor Dei, aut cœli non condit.

## EXHORTATIUNCULA XXVIII.

## Ad Superbos, &amp; elatos.

## I.

**C**harissime! Nondum ex inferis percipimus fastuosorum lamentabiles ululatus: *Quid profuit nobis (vociferantur:) superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Transierunt

runt ut umbra! & relicta nobis sunt tormenta perpetua. Ecce! hæc superbæ relicta hæreditas! infelix æternitas! & justissimè! Odit enim Deus superbos; exaltat verò humiles. Jam elige!

*Instructio meritoria.*

Ut eligamus prudenter, & nobis nunquam quid tribuamus vel de donis Dei, aut bonis naturæ, hodiè adhuc illam S. Bernardi conscribamus sententiam, & conscriptam cubiculo appendamus: sic sonat: *Descendamus per viam humilitatis, ponaturque nobis primus gradus ejus nolle dominari; secundus velle subjici; tertius in ipsa subjectione quaslibet contumelias, & injurias equanimiter pati.* Oremus frequenter psalmum: *Domine! Non est exaltatum cor meum!* Nescit seipsum, qui magnum de se concipit sensum.

II.

**A**Micissime! Nihil est miserius, nil infaustius, nil damnabilius christianò superbò, & fastuosò. Nomen portat nudi, pauperis, derelicti, ac inopis Jesu: & ipse incedit grandis in ore, elatus in opere, superbus in conversatione? O cinis! O pulvis! Memento; quia lutum es, & in lutum reverteris. Christiane! Deum nunquam cognosces, si te non humilies. Ideo Cyprianus: *Ut cognoscere Deum possis, te antè cognosce.*

*Instructio meritoria.*

Tota ætas Jesu, cujus fratres sumus, quid fuit

fuit nisi constans obedientia, submissio, humilitas profundissima? Veneremur per 34. *Pater*, & *Ave*. Dabitur, quod frater petit à fratre. Petamus autem plurimum perfectam humilitatem, quæ rectâ viâ ad patriam cœlestem. Qui magna, & multa possidet, abjiciat, ut nudus nudum Jesum videat.

## III.

**F**ili! quantò major es, eò demitte te inferius; & coram Deo invenies gratiam. Et ò quàm profundè nos oportet submittere, quorum nasci, fletus: quorum vivere, miseria: Finis, mors & æternitas incerta.

*Instructio meritoria.*

Gaudeamus, si vel ab aliis contemnamur, vel injuriis afficiamur. Qui nos offendunt, nostri benefactores sunt. Hinc bonum pro malo retribuamus, & pro omnibus malefactoribus recitemus Psalmum: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Imbellis est animus, quem obvia fatigat injuria.

## EXHORTATIUNCULA XXIX.

## Ad Jactabundos, &amp; vanè glorianes.

## I.

**S**Ta fili! Et quid Magnus Gregorius contra jactantiam, cum timore considera. *Consideret homo (suadet Doctor sanctus) quid elatus homo mereatur in terra, si etiam elatus angelus prosternitur in cœlo? Si Deus sic egit cum angelo jactabundo: De homine quid fiet, cum sit pulvis*